

HARTMANNVS A HALLVVL.



Hartmannus natus est apud Bernenses Helue
tios ex nobili Halluulorum familia, anno cir-
citer 1510. Is cum felici ingenio esset præditus, à pue-
ris operam literis dedit, atq; prima rudimēta in pa-
tria feliciter didicit. Inde sese ad exterias quoq; na-
tiones contulit, atq; præclaram artium & linguarū
sibi usum comparauit. Postea in patriam rediit, atq;
Bruggis oppido Bernensium ditionis patremfami-
lias agere coepit. Fuerunt huius uiri uariæ uirtutes.
In primis uero pietatem colit, atq; pacis studia per-
sequitur. hinc factum ut uicini nobiles, atq; alijs pru-
dentia & æquitate conspicui uiri, hunc Hartman-
num saepius dubijs negotijs ingruentibus in consi-
lium adhibuerint, atq; etiam inter partes dissidentes arbitrum constituerint.
Quin etiam Bernensis senatus eum plurimi facit, atque res magnas multoties
suo nomine expedire iubet. Hoc modo ipse ueneranda canitie conspicuus e-
tiamnū Bruggis superest, atque suis uirtutibus patriam Heluetiam plurimū
exornat. Anon.